

*succubcentem oneri suo, dum abstines à deponendo  
onere illius; omnino deponito ab eo onus. Si non  
est lætandum damno inimici & osoris, quod  
eum percipere contingat in jactura jumenti:  
multò minus lætandum est de interitu ini-  
mici ipsius. Sed repugnare videtur, quod ex-  
stat Psalm. 52. v. 7, 8, 9. Etiam Deus fortis demo-  
liturus est te in æternum; abripiet te, & avellet te à  
tentorio, eradicabitq; te è terra viventium certissimè.  
Quod videntes justi, reverebuntur; & de isto ride-  
bunt; dicentes: Ecce virum illum, qui non proposue-  
rat Deum robur suum: sed confidebat amplitudini di-  
vitiarum suarum, roborabat se in substantia sua. Et  
Psalm. 58. v. 11, 12. Lætabitur justus, quum viderit  
ultionem: pedes suos lavabit in sanguine improbi:  
Dicetq; homo, utiq; est fructus justo; utiq; est Deus,  
est judex in terra. R E S P. Hæc & similia Psal-  
morum loca de lætitia piorum extinctis im-  
piis, non pugnant cum prohibitione lætitiae  
ob casum & ruinā inimici proposita Proverb.  
24. 17, 18. Nam Salomon in hoc Proverbio-  
rum loco agit de privato inimico ob causas  
humanas, ut sunt invidia, ambitio, avaritia,  
falsa delatio, opinio illatæ injuriæ & similes,  
cujusmodi inimici sunt passim, exercentes si-  
multates sæpè ob res leviculas: at David in  
adductis Psalmis agit de publicis hostibus  
Dei & Ecclesiæ, hoc agentibus ut Dei consi-  
lium irritū reddatur, & propterea persequen-  
tibus pios & opprimere conantibus. De pri-  
vati inimici casu & ruina homini pio nequa-*

Pp 3